



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorvm|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiaē, 1697

Cap. LIX. Respectus Parentelæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

III.

Executoribus non rite procedentibus resisti potest, l. 5. C. de executor. Si scilicet vel extra territorium exequantur, vel non ostendant literas commissionis, vel non gerant insignia, vel periculum sit in morâ & damnum irreparabile imminuat. *Brunnem. C. de executor. col. 2.*

IV.

Satelles, qui injustè resistentem occidit, non punitur de homicidio l. 29. §. pen. de L. Aquil. l. 2. C. de desertor. *Brunnem. C. cod. n. 3.* Sive quis pro debito civili, sive delicto non-capitali capiendus sit. Et presentes tenentur iudicis apparitoribus assistere, si sine periculo possint, aut non sint Clerici, aliâs extraordinariè puniuntur. *Perez. C. de cohortal. & princip. n. 9.*

V.

Omnis permessa resistentia debet fieri cum moderamine inculpatae tutelae, *Brunnem. C. de executor. col. 2.*

VI.

Iter facientes & res suas perquirentibus resistentes eò ipso reddunt se suspectos & poenae obnoxios, *Brunnem. C. de cursu publ. col. 3.*

CAP. LVII.
Resolutio.

Axioma I.

Resolutione facta, actus resolutus amplius in considerationem non venit, l. Julianus 131. §. 1. de V. O. l. etiam 27. de solut.

II.

Resoluto jure dantis resolvitur jus accipientis, l. vestigalis 31. de pignor. l. 3. quib. mod. pign. l. 69. §. pradium de leg. 2. l. 7. de A. E. V. W. lemb. 2. consil. 73. n. 57. & part. 7. consil. 325. n. 14. vid. sup. p. 1. lit. I. cap. Jus. axiom. 1.

CAP. LIX.
Respectus.

Respectus diversi locum non habent, ubi personae vel bona omnia absolute obligantur, & quidem uni soli ante omnes homines, Rosench. de feud. cap. 10. concl. 12. n. 24. Arnif. 1. relect. polit. 5. sect. 7. n. 71. De diverso modo considerandi vide omnino Senecam lib. 3. de benefice. cap. 5. & seq. Tusch. lit. e. concl. 54.

Respectus personae quomodo haberi debeat in poenis, vide *Pena. & Justitia.*

CAP. LIX.
Respectus Parentelæ.

Axioma I.

Quoties una personarum, de quarum cognitione quaeritur, immediate & proximè conjuncta est stipiti, toties inter illas est parentelæ respectus. Quia respectus paternus ex solâ inducitur fraternitate quæ unam facit carnem, *Gen. 37. 27. Carpz. Jurispr. Eccl. l. 2. Defin. 40. n. 15.* Ascendendum ergo loco mihi sunt avorum vel paren-

tum fratres; liberorum verò loco fratrum & sororum descendentes.

II.

Ubiunque est respectus parentelæ, ibi matrimonium est prohibitum. §. 3. 5. *Instit. de nup.*

CAP. LX.
Responsio, Refutatio,
Solutio Dubiorum.

Axioma I.

Respondere interdum cogimur, ne ignorantes esse videamur, cap. in mandatis 2. in fin. *distinctione 43.* Nemo tamen respondere debet propter hoc, ut plus videatur scire, quàm sciat, cap. ult. §. pariter dict. *distinct.*

II.

Respondere & non tacere differunt. Indicat hanc differentiam Augustinus in princip. lib. 3. *contra Gaudent.* Accepi, inquit, Gaudenti, responsionem tuam, si tamen responsio dicenda est, quam mihi propterea referre voluisti, ne, si tacuisses, diceremus, te esse convictum: Sed non hoc est respondere, quod est, non tacere. Nam si hoc est, respondisti planè: sed idèò, ut etiam hi, qui de te aliquid possent sperare, noverint, te non invenisse, quod respondere deberes, & tamen respondisse, ne taceres. Idèò cum caveres, ne vidius dicereris, fecisti, ut responderes. Quem etiam citat Gruterus in fin. *defensionis subjectionum extraordinariarum.* Inde videtur sumptum istud B. Lutheri tom. 3. *Jen. pag. 408.* dum scribit: *Eie meynen/es sey geantwortet/ wann sie ein Buch machen / und schreiben darauf das Wortlein/ Antwort.*

III.

Responsio apud Jurisconsultos non semper apta est & congrua, verbi gratia, in §. ult. *Instit. qui testam. tutor. dar. poss.* quaeritur, an nepotes veniant appellatione filiorum, nec ne? Respondetur venire, siquidem liberos dixerit: At hoc non esse in quaestione, inquit Bachovius. Et tamen ita quoque loquitur Jurisconsultus in l. 6. de *testam. tutel.* ut appareat, non semper ita subiles & accuratos Jctos fuisse.

IV.

Jctorum refutationes & responsiones mutuae & modestae esse debent, Anton. Matthai in *omn. de Modest. Jureconsultorum.* Cujac. in *recit. C. de necessar. serv. hered. institut.* ubi tamen obiter notari potest, responsionem esse aliam ad hominem, aliam ad rem. Vide Aristot. 2. *Sophist. Elench. cap. 2. n. 6. 7. & 8. Phys. cap. 8.* quo facit & illud Cujacii in *recit. ad tit. Cod. de bon. matern. pag. 942.* dum inquit: Cum adversarius (de Alciato loquitur) destitutus est suis argumentis, (per refutationem eorum) licet, (ut est apud Aristot. *ad. locis.*) argumentari ad hominem, quod fit hoc modo: Tu tuam sententiam his testimoniis confirmare vis, hæc ego testimonia refutavi; restat igitur falsam esse tuam sententiam. Eadem responsione utitur idem *ad lib. 1. Feud.* dum ait: Defensio nuda est, quæ